

TRIBUNAL DIOCESANO DE BARCELONA

Coram R. P. RAYMUNDO BAUCCELLS, ponente

NULLITATIS MATRIMONII (*ex nullitate dispensationis
ab impedimento aetatis*)

SPECIES FACTI

1. Obtenta dispensatione super impedimento aetatis, sub die 25 maii 1921, in ecclesia parociali Sancti Andreae de Palomar, huius civitatis, A., puella tredecim annorum, nupsit C., viginti et duos annos nato. Causa Sanctae Sedi exposita ad dispensationem assequendam fuit copula inter oratores ex qua gravida evasis oratrix, quae graviditas a medico per documentum attestata fuit, et ex qua logice eruebant vitatio infamiae in oratrice et reparatio scandali, quas orator allegaverat in sua postulatione ad Ordinarium Barcinonensem. Dispensatio vero Pontificia, in forma *commissoria* facta, et ab Ordinario Barcinonensi exequenda, data est cum hac clausula: «prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est *scandalum reparandum*. Ordinario Barcinonen. committit, ut *si vera sunt exposita*». Peractis a paroco Sancti Andreae diligentibus de mandato Vicarii Generalis, hic dispensationem ab impedimento fulminavit. Matrimonium sic initum, et nunquam, ut adserunt actrix et conventus, consummatum, nullaque prole recreatum, infelicissimum habuit successum; nam mulier, quae plures vexationes, iuxta ipsam, ex parte mariti eiusque matris passa est, tandem, post duos annos, a domicilio coniugali discessit, quin deinceps cohabitatio et coniugalis conviventia restauratae sint.

A., quae falsitatem adsertae copulae semper cognovit, sed matrimonii nullitatem ignoravit, nuper conscia facta est de nullitate sui matrimonii ob impedimentum aetatis suae, non sublatum per dispensationem ex falsis causis concessam. Quare sub die 6 februarii 1945, libellum porrexit penes hoc Tribunal in quo exoptulat nullitatis declarationem sui matrimonii cum C., initi ex defectu aetatis in ipsa. Libello admissio duplex *Dubium* efformatum est ad normam iuris solvendum. Primum DUBIUM, pro causa incidentaliter ac praevia, his verbis est concordatum: AN FUERINT VEL NON VERAEE, CAUSAE EXPOSITAE IN PETITIONE APOSTOLICAE DISPENSATIONIS AB IMPEDIMENTO AETATIS ACTRICIS, ET AN FUERINT VERAEE IN TEMPORE EXECUTIONIS RESCRIPTI PONTIFICII. Secundum DUBIUM,